

Petrus de Vinea

*Ep. III 12 (Sollicitudo continua
curas nostras exagitat...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 12 (Sollicitudo continua
curas nostras exagitat...)*

febbraio 1252?

Capitano Syciliae, super reformatione Studii Neapolitani.

1. Sollicitudo continua curas nostras exagitat, qualiter regnum nostrum Syciliae, naturaliter rerum uictualium ubertate fecundum, prudentium uirorum copia nostris temporibus artificialiter decoremus, ut fideles nostri regnicolae scientiarum fructus, quos indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti, paratam in Regno sibi mensam propositionis inueniant, et quos ingeniorum natua fertilitas ad consilia reddit alta perspicuos, litterarum scientia faciat eruditos. 2. Ad quod, licet progenitorum nostrorum nos clara prioritas inuitet exemplis, dum eorum temporibus sic diuersarum scientiarum in Regno studia floruisse comperimus, ut non solum ad incolas filios sed ad externos etiam extendisse probetur suauitatem odoris, nos tamen super hoc tanto libenter sine cuiusquam inductione concurrimus, quanto per hoc utilius honori nostro consulere credimus et exaltationem omnimodam Regni nostri omni, qua possumus, diligentia procuramus. 3. Volentes itaque super hoc antiquorum gratam renouare temperiem et in Regni nostri fastigia tripudialibus nouitatis nostrae primitiis augmentare, uniuersale Studium in ciuitate nostra Neapolis, consulta utique deliberatione, prouidimus reformandum, ut ciuitas ipsa, antiqua mater et domus Studii, sicut puritate fidei et situs amenitate prefulget, sic renouata, quasi paranimpha scientiae et singularium hospitalaria facultatum, docentibus et addiscentibus se prebeat generosam. 4. Ad hoc igitur tam salubre conuiuium magistros quoslibet et scholares hylariter inuitamus, fidelitati tuae mandantes, quatenus presens beneplacitum

nostrum per iurisdictionem tuam sollempniter studeas publicare, firmam singulis fiduciam oblaturus, quod immunitates et libertates omnes, quibus olim, tam in Neapolitanis quam Salernitanis Studiis, uti et gaudere sunt soliti, faciemus uniuersis et singulis illuc ire uolentibus inuiolabiliter obseruari.